

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Volvminibvs Comprehensvs

Tractatus de Beatitudine, de Actibus humanis, eorumque Moralitate, de  
Virtutibus ac Donis, de Vitiis ac Peccatis, & de Legibus, nec-non  
Dissertationem Theologicam de Probabilitate

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. I. Dupli conclusione veritas declaratur

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78232](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-78232)

## DISPUTATIO II.

De lege aeterna.

Ad questionem 93. Divi Thomae.

**P**ostquam de lege in communi egimus, restat ut de ejus speciebus in particulari differamus, & primò quidem de lege aeterna, cùm aliae sint tantum illius participationes, ab ea que ut rivuli à fonte deriventur, & dependent. Unde sit

## ARTICULUS I.

An, &amp; quid sit lex aeterna?

§. I.

Duplici conclusione veritas declaratur.

**D**ico primò, lex aeterna ponenda est in Deo. Ita D. Thomas supra quest. 91. art. 1. ubi sic discurrevit: Lex nihil aliud est, quam dictamen practicae rationis in Principe, qui gubernat aliquam communiam perfectam: Sed hoc dictamen invenitur in Deo, respectu communiam totius universi: Ergo in Deo reperitur lex quā totum universum gubernat. Major constat ex dictis disputatione praecedenti, Minor vero probatur. In Deo est providentia, quā totus mundus regitur, ut Sanctus Doctor ostendit 1. part quest. 22. articulo 1. & 2. Ergo tota communiam universi gubernatur ratione divina, & dictamine rationis practicae, existente in Deo, ut insupremo gubernatore. Hanc consequentiam non probat S. Thomas, sed illam apponit. Potest tamen facile probari ex eo quod divina providentia, ut constabit ex infra dicendis, supponit illud dictamen rationis divinae practicae, & ex illo infertur; sicut conclusio supponit principium ex quo infertur: Ergo si in Deo est providentia quā cuncta gubernantur, necesse est esse in illo illud dictamen rationis practicae, cum quo habet necessariam connexionem, sicut conclusio cum suo principio. Tunc ultra: Sed illud dictamen rationis practicae in Deo existens, in quo consistit ratio legis, est aeternum, quia divina ratio nihil concipit ex tempore, ut dicitur Proverb. 8. Ergo aliqua lex est aeterna, illa videlicet, qua est ratio gubernationis omnium rerum, in Deo existens.

**2** Hanc legem aeternam agnoverunt Gentiles Philosophi, ut testatur Marcus Tullius lib. 2. de legibus, ubi haec scribit: *Hanc video sapientissimum fuisse sententiam, legem, neque hominum ingenii excogitatan, neque scitur aliquid esse popularum, sed aeternum quiddam quod universum mundum regeret, imperandi, prohibendique sapientia.* Ita principem legem illam, & ultimam, mentem dicebant esse: *omnia ratione aut cogentis, id est praeipientis, aut vetantis Dei, ex qua illa lex, quam diu humano generi dederunt, recte est laudata.*

**3** Dico secundò lex aeterna nihil est aliud quam ratio divinae sapientiae existens in Deo ab aeterno, secundum quod est directiva omnium actuum, & motionum omnium creaturarum, in

A ordine ad bonum commune totius universi. Est etiam D. Thomas hic art. ubi sic ratiocinatur: Sicut ratio rerum faciendarum per artem, vocatur ars vel exemplar rerum artificiarum; ita etiam ratio gubernantis actus subditorum, rationem legis obtinet, servatis aliis quæ supra diximus esse de legis ratione. Deus autem per suam sapientiam conditor est universarum rerum, ad quas comparatur, sicut artifex ad artificia. Est etiam gubernator omnium actuum & motionum, quæ inveniuntur in singulis creaturis. Unde sic ratio divinae sapientiae, in quantum per eam cuncta sunt creata, rationem habet artis, vel exemplaris, vel ideæ: ita ratio divinae sapientiae movens omnia ad debitum finem, obtinet rationem legis. Et secundum hoc lex aeterna nihil aliud est, quam ratio divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum.

**I**dem colligitur ex Augustino lib. 22. contra Faustum cap. 27. ubi ait quod lex aeterna estratio divina, vel voluntas Dei, ordinem naturalem conservari jubens, perturbari vetans. Et lib. 1. delibero arbit. cap. 5. & 6. dicit legem aeternam esse rationem in mente Dei existentem, quā res omnes per congrua media in suis fines ordinantur & diriguntur: Ergo ex mente S. Augustini & D. Thomæ, lex aeterna consistit in ratione divinae sapientiae, secundum quod est directiva omnium actuum & motionum.

**R**atio etiam id suadet nam lex aeterna generalissime loquendo consistit in hoc quod sit regula & mensura ab aeterno existens in Deo, quā mediante omnia Deo subjecta mensurentur & regulentur in ordine ad bonum commune ab ipso intentum: Sed ratio divinae sapientiae ab aeterno in Deo existens, quatenus est directiva omnium actuum & motionum omnium creaturarum, est hujusmodi: Ergo in illa formalissime loquendo lex aeterna consistit. Major constat ex dictis art. 1. & 2. disputationis praecedentis, ibi enim ostendimus, de ratione legis esse, quod sit regula & mensura actionum & motionum subditorum, in ordine ad bonum commune; id est enim lex dirigitur ad subditos, ut subditi sua actiones & motiones legi conforment & comensurentur, propter bonum commune, quod per se primò respicit lex. Minor vero sic ostenditur: De ratione mensuræ & regulæ est, quod sit directiva regulati & mensurati per illam: Ergo ratio divinae sapientiae, qua est directiva motionum & actionum omnium creaturarum, regula est & mensura illarum.

§. II.

Corollaria notatu digna.

**E**x dictis colligitur primò, legem aeternam multipliciter ab idea differre. Idea enim respicit rem ut creabilem, lex vero aeterna ut gubernandam. Lex aeterna connotat & supponit voluntatem seu liberum Dei decretum de condendis creaturis, idea vero prescribens modum rei facienda, antecedit decretum; unde lex aeterna versatur solum circa creaturas futuras, Deo in sua aeternitate presentes; idea vero est etiam de creaturis possibilibus, quæ Deo in sua aeternitate presentes non sunt. Idea le habet per modum determinantis agens ad specificationem operis, ex parte objecti, lex vero per modum obligantis ad executionem operis. Demum licet idea in Deo multiplicentur, tamen lex aeterna unica est, quia idea